

Scriptionibus dimanaverint. Vid. HUETIUS. in *Demonstratione Evangelica. Cap. III. Prop. 10. §. 1. p. 115. s.* Et EDMUNDUS DICKINSONIUS. in *Physica Veteri & Vera. Cap. XIX. & XX. p. 369. ss.* Proinde siquidem sparsim multa de *Creatione*, de *statu prime perfectionis*, de *lapsu & restitutione hominum*, apud Philosophos leges. Vide post HUETIUM, P. ALLIXII. *Reflexions sur les cinque livres de Moysé, pour établir la vérité de la Religion Chrétienne. Chap. III. IV. pag. 1.*

## §. VII.

Hominem itaque exactius ut considerem, thema meum me jubet, dum vix de Communione Bonorum sanum aliquid sum exhibitus, nisi in aprico positum sit, quibus donis ac præminentibus bonis Summus rerum Arbiter hominem instruxerit? & quomodo Quilibet bona quidem communia cum reliquis sui generis possideat; simul vero etiam bona quædam, sibi soli collata, tam animi, quam corporis ac fortunæ acceperit; Quod propterea Summum Numen illum hominem dispensatorem constituerit super illa bona & dona, sic quidem, ut his consideratis, reveratur ac timeat DEum, tanquam benignissimum collatorem, in cuius liberrimo arbitrio positum sit, accumulare eadem, aut privare ingratos iisdem; Ut ulterius his bonis atque donis prospiciat cuicunque sui ipsius felicitati, ac omni candore & dexteritate sic tandem dotes suas dispenset, quo Reipublicæ, ac omnibus suis concivibus, (quantum suis viribus valet) bene fit, & faciat; Ut his tandem corruscus, præstet Officia Veri, Pii, Justi ac Honesti.

## §. IIX.